



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

LUCTIFERA BELLA

BEATA MARIA VIRGO « REGINA PACIS »
CONSOCIATIONIS NATIONALIS VICTIMARUM CIVILIUM BELLII
IN ITALIA (VULGO « ASSOCIAZIONE NAZIONALE DELLE VITTIME
CIVILI DELLA GUERRA »)
CAELESTIS PATRONA CONSTITUITUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Luctifera bella, quibus hominum genus, pro dolor, non raro discruciat, quo magis artis militaris subsidia perpoliuntur novisque augentur inventis, eo perniciosiora evadunt, siquidem non solum exercitus in acie constituti cruenta inter se pugna decertant, sed inermes etiam cives miserabili interficiuntur strage vel sauciantur, atque gentes, a confictu alienae, armis contententium turbine interdum agitantur. Ita bello, quod non ita pridem per totum fere orbem terrarum saeviit, factum est, ut non minores numero cives, in exercitus ordines minime asciti, quam milites, stipendia merentes, occiderent. Provido igitur consilio in Italia instituta est sodalitas Victimarum Civilium belli, cuius esset non solum corporeas earum res et rationes tueri sed animorum etiam vitam alere et provehere. Qui ergo, militiae exsortes, belli furore iactati sunt profligatique, inducuntur, ut pacem hominibus precentur, quae caeleste donum est eximium; meritoque ad Almam convertuntur Deiparam, quae ut Regina Pacis ab Ecclesia invocatur et colitur. Itaque, ab eadem societate preces ad Nos admotae sunt, ut Beatam Mariam Virginem, nomine illo insignem, supernam ipsius *Patronam* pro Nostra benignitate renuntiarem. Nos vero, qui non una data occasione ad pacis assequenda bona omnes sumus cohortati et ad augustam Virginem impenso venerandam studio vocavimus, quos habemus in Domino, filios, vota huiusmodi libenti animo statuimus implere. Quae cum ita sint, Nos, collatis consiliis cum Dilecto Filio Nostro Caietano Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Cicognani, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque

Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, ut Reginam Pacis invocatam, Consociationis Nationalis Victimarum Civiliū belli, vulgo « Associazione Nazionale delle Vittime Civili della Guerra » appellatae, in Italia, caelestem apud Deum Patronam constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Novembris, anno MCMLIX, Pontificatus Nostri secundo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis